

1570

*Hector Ba-
leonius ad
invadendos
hostes se in-
bruic.*

manum ad regionem lustrandam exponunt . Rochasium cum equitibus circiter quadringentis , scloppettariis Italis centum , Antonio Berettino , ac Lazaro Cocapane præfectis , Baleonius eo proficisci jussit , ut si fieri posset , vel penitus hostes exscensione prohiberentur , vel egredientes quam maxime damno , ac molestia afficerentur . Trecentos equos minores , quibus fistulatores Itali insiderent , expediri imperat , ipse cum peditibus totidem , Epirotis equitibus centum ac quinquaginta ad disturbandos hostes Tamasso mox egressurus . At Rochasius (quanam causa incertum) re infecta , Italis Leucosiam remissis , cum reliquis Tamassum regreditur ; Baleonium extum parantem offendit , ut , noctu occupatis hostibus , ipse in albescente cælo superveniret . At cum omnia irrito conatu evenisse intelligeret , præsenti malo obviam ire connixus , vel equorum laetitudine , vel parum in id propensa Rochasii voluntate , abstinuit . Ille summo mane Leucosiam quarto nonas pervenit . Rondacius mandata Baleonii effecta fuisse , jamque nostros manu cum hoste conserere ratus , iter urgendo , licet equis fessis , ac prope enectis , ad Salinas paulo post Rochasii discessum pervenit , omniaque præter opinionem acta fuisse conspicatus , Lucosiam ipse quoque accesit .

*Turcarum
timor.*

Hostes viginti peditum , tria equitum millia , nullo fere obstante , exponunt , non absque ingenti admiratione , nullum egredientibus copiis impedimentum afferri : qua ex re plerique haud levi suspicione solicitabantur , subterraneos extructos a nostris cuniculos fuisse , ut , præstituto tempore igne concepto , diffiliente , atque hiante solo disjicerentur . Hujus rei rumore perterriti , qui priores litus attigerant , veluti ad certum interitum incederent , substiterant , vique ad procedendum coacti , levi pedum appulsi , nostrorum insidias , atque militares astus veriti , solum attingebant ; neque deerant (ut inanibus plerumque imaginibus timore correpti commoveri solent) qui hordei aristas ad messem excretas , leni ventorum afflato fluitantes , eminus intuentes , nostrorum copias , quæ in ipsos impetum facturæ essent , existimarent : neque is metus ab hostium animis depelli potuit , donec magna militum manus e triremibus deducta pavorem omnem disjecit . Hostes itaque , nullo obstante , egressi , agros incursionibus ,